

CELSISSIMO

S. R. I.

PRINCIPI

PAULO ANTONIO

ESZTERHAZY

DE GALANTHA,

PERPETUO COMITI

IN FRAKNO,

COMITATUS SOPRONIENSIS PERPETUO ÆQUE,

<sup>AG</sup>

SUPREMO COMITI,

AUREI VELLERIS EQUITI,

<sup>UTRIUSQUE</sup>

SAC. CÆS. REGIÆ, APOSTOLICÆQUE MAJESTATIS

CONSILIARIO ACTUALI INTIMO,

GENERALI CAMPI MARESCHALLO,

<sup>ET</sup>

UNIUS LEGIONIS EQUESTRIIS ORDINIS HUNGARICI

COLONELLO,

NEQ NON SUBICULARIORUM REGALUM PER HUNGARIAM

MAGISTRO, &c.

DOMINO DOMINO,

<sup>AC</sup>

PATRONO SUO

BENIGNISSIMO.

CELSISSIME  
S. R. I.  
PRINCEPS!  
DOMINE DOMINE,  
AC  
PATRONE  
BENIGNISSIME!



*U*idum gestiebat animus publicum  
aliquod singularis erga Te obser-  
vantia testimonium exhibere,  
**PRINCEPS CELSISSIME!**  
*nunquam tamen se mihi opportu-  
nior occasio offerre visa est, qua voti mei dam-  
nari me posse intelligerem, quam cum nuper Lex  
statuta Academica optatam mihi necessitatem  
imponeret, ut Scientiæ Medicæ specimen datu-  
rus, paginas quasdam conscriberem, & cum  
eruditis Adversariis pugnam litterariam inirem,  
pro*

pro ultima Doctoratus Medici laurea tanquam  
pro aris & focis decertaturus.

Et sane non poteram aliter facere, quam  
ut Tibi has operis mei primitias offerrem, præ-  
sertim cum mentem subiit, me vel hoc uno titu-  
lo ad id obstringi, quod in Tua amplissima  
PRINCEPS ditioe & natus sim, & a teneris  
educatus.

Incitabar præterea ad id vehementer, quod  
virtutes Tuas, atque insignia decora non vulgi  
tantum sermonibus, sed sapientissimorum etiam  
prædicatione, & in Patria, & in hac nobilissi-  
ma urbe tam effusis laudibus celebrari audirem:  
quis enim Clementiam, Comitatem, Facili-  
tatemque erga omne genus hominum: summam  
dein Æquitatem, & Justitiam unicam actio-  
num Tuarum regulam non deprædicat?

Harum sane virtutum splendore PRIN-  
CEPS perfecisti, ut nominis gloriam Majorum  
Tuorum non æquares modo, sed magna ex parte  
superares, qui famam de ornamentis nature Tux  
ad veram laudem propense, & in has, & in  
disitas etiam ultra mare provincias propagasti.

Longum foret singula commemorare, quæ  
in Te eximia, quæ admiratione digna conspici-  
mus: quod si abessent cetera, sola Fides Tua,  
quam Augustissimæ Domui Austriacæ præcla-  
ro Majorum Tuorum exemplo pace ac bello illi-  
batam servasti semper, & pro qua etiam mori

Tibi *Et* fixum, *Et* volupe esse 'certo scio; sola  
inquam inconcussa Fides Tua Te PRINCIPEM  
probaret, omnium encomiis, omnium veneratio-  
ne dignissimum.

Patere igitur PRINCEPS CELSIS-  
SIME! hanc de Materia Medica Dissertationem,  
qualiscunque fuerit, Tibi sacram fieri, eam-  
que gloriosissimo Nomini Tuo inscribi.

Equidem non is sum, qui dignum Tua  
Celsitudine opus me editurum existimem, spes  
tamen mihi amplissima affulget fore, ut illud non  
respuas, si nihil aliud cupiam, quam ut tenue  
quoddam mea erga Te pietatis atque observantia  
exstet argumentum, cui vel ex eo splendorem  
quendam, *Et* diuturnam memoriam accessuram  
esse non dubito, si Tuo Nomine, quod celebra-  
tum est adeo, cujus oblivisci nemo poterit, glo-  
rietur.

Dignare proinde PRINCEPS CELSIS-  
SIME! levidenses has paginas, quas pedibus  
Tuis substerno, benigne acceptare; reliquum  
enim, quod integritati materiae deest, perpetua  
animi mei gratitudo adimplebit, qui sum.

CELSITUDINIS TUÆ

Servorum *Et* Clientum  
infimus

FRANCISCUS XAVERIUS  
UNGERHOFFER.